OBSERVATIONES LIVIANAE.

SCRIPSIT

HERMANNUS WIMMER,
DR PHILOS. SOCIETATIS GRAECAE SODALIS.

MDCCCXXXIX.

AD

EXAMEN ANNIVERSARIUM

DIEBUS II. III. IV. MENSIS SEPTEMBRIS

IN

GYMNASIO VITZTHUMIANO AC SCHOLA BLOCHMANNIA

PUBLICE INSTITUENDUM

RECTORIS ET COLLEGARUM NOMINE

INVITAT

HERMANNUS WIMMER,

DR. PHILOS. SOCIETATIS GRAECAE SODALIS.

PRAEMISSAE SUNT OBSERVATIONES LIVIANAE.

DRESDAE,

EX OFFICINA ERNESTI BLOCHMANNI.

MDCCCXXXIX.

Praefatio.

Quum mihi necopinanti haec provincia nuper data esset, ut libello aliquo praemisso patronos ac fautores hujus scholae ad examen publice instituendum invitarem, quanquam occasio muneris, quod gratissimum esset atque honorificum, obeundi summo gaudio me affecit, non potui tamen postea a me impetrare, quin eandem rem, qua mihi nihil opportunius accidisse opinatus eram, paene importunam judicarem. Causa enim accuratius perpensa et schedis, unde materiam ad scribendum aptam depromerem, diligenter perquisitis, nihildum eo perfectum esse vidi, ut mox in lucem emitti posset. Hac re equidem non deterritus quum de qua potissimum re in hoc libello exponerem multum dubitassem, factum est, ut auctoritate Reinholdi Klotzii, in cujus societate Latina tirocinia artis criticae posueram multosque Livii locos tractaveram, ad observationes in Livium conscribendas animum appellerem, quum Livii libros multis mendis etiamnunc inquinatos neque ita, ut deberent, constitutos esse vidissem. Multi quidem viri iique ingenii et doctrinae laude clarissimi operam suam Livii operibus recensendis navarunt, ut vel nominibus eorum auditis nihil falsi, quod ab aliis corrigendum esset, relictum esse opineris: sed non tam diligenter rem suam gessisse videntur, ut sermonem, quoad

ejus fieri posset, plane Livianum restituerent, neque multa, quae ab istis viris commissa indigneris, peccarent. Quod eo magis mirandum esse videtur, quo praestantiore librorum copia gaudemus. Neque jam credo inter doctos cuiquam dubium erit, quin si librorum auctoritatem quam ingenium suum sequi maluissent critici, multo melius Livii monumentis consultum esset. Fredericus quidem Gronovius, quanquam haud injuria Livii sospitator praedicatur, quippe cui permultos locos sive conjectura sive codicum ope recte emendatos debeamus, lubidine tamen conjiciendi ita abreptus est, ut quaecunque imagini dictionis Livianae in ingenio suo expressae non convenire visa essent, corrigere non dubitaret. Unde factum est, ut vir doctissimus et sermonis Liviani peritissimus haud raro umbram pro Junone, ut ajunt, amplecteretur atque editores insequentes disputationibus doctrinae summae plenis in sententiam suam abriperet. Drakenborchius enim, varietate lectionis ex libris manuscriptis multis iisque magnam partem bonis summa cum diligentia enotata, quanquam artem criticam multo religiosius factitavit, dum, qui loci omnium librorum consensu firmati essent, in formam antiquam restituere solet, ita tamen ex auctoritate Gronovii pependit, ut saepe falsis opinionibus ejus erroribusque et ipse teneretur. Non raro enim factum esse observamus, ut quod Gronovius ex ingenio suo aliis ejusdem generis locis ductus emendasset, eodem Drakenborchius, ut ejus sententiam comprobaret, farraginem locorum congereret, ubi, si in alterum dicendi genus inquisivissent, illi neque ob naturam dictionis neque ob similium locorum defectum causam offendendi invenirent. Nihilo minus ita de Livio meritus est Drakenborchius, ut ex ejus demum editione verba in habitum antiquum redigi possent, quia par-

tim summa industria copias librorum conquisivit et diligentissime varias lectiones excripsit, partim, quae erat ipsius in arte critica inconstantia, scripturam codicum nonnunquam haud infelici successu defendere studuit. Quare vellem editores recentiores saepius Drakenborchii sententiam sequuti essent, quum multa, quae iste recte reposuisset, ab his deserta viderimus. Nam ut Strothium, Baumgarten-Crusium, alios taceam, de quibus jam Kreyssigius, vir summa doctrina et elegantia, in praefatione editionis suae sententiam tulerit, Kreyssigius certe posterioribus potius libris quam prioribus recensendis intentus fuisse videtur, quum loci, quos in istis aliter, atque a Drakenborchio vulgati erant, scriptos legeris, et rari sint et magnam partem haud recte cum aliis emendati esse videantur. Idcirco, quamvis summa sint ejus de ceteris decadibus merita, in prima, de qua nunc disputo decade, ubi in Drakenborchii recensione plerumque subsistendum esse putavit, parum ab eo videtur esse praestitum, quum in iis locis, quos emendandos esse credidit, a Drakenborchio rectius scriptura antiqua servata sit. Bekkerus alia eaque meliore via usus ex codice Florentino, quem inter optimos referendum esse viderat, verba Livii edenda curavit, itaque in textu, quem vocant, Livii refingendo tam religiose versatus est, ut pauca tantummodo ab ipso non recte immutata deprehendas. Quo majorem vero laudem tractatione scita et religiosa, ut solet, sibi paravit, eo magis vituperanda est rei gravissimae tanta incuria, qua permulta, quae restituenda erant, etiamnunc corrigenda reliquit. Quodsi libri Florentini vestigia accuratius etiam pressisset, plus lucri Livio futurum fuisse apparet: quanquam codex iste si non omnium optimus, at inter optimos quidem habendus est. Satis certo enim

mihi observasse videor, laudem praestantiae et antiquitatis praeter ceteros libro Harlejano deberi, quem Drakenborchius, ut ab alio recentius scripto distingueret, antiquiorem appellavit. Quum enim jam Drakenborchius, quanquam codices Leidensem priorem et Florentinum ei praetulerat, interdum non potuerit non scripturam ab uno Harlejano libro commendatam in verba scriptoris recipere, tum omnes, qui ab ista opinione praejudicata liberi erunt, eum paene semper ceteris unice praestare advertent. Prorsus vacuum eum esse a mendis librariorum non contenderim, quum interdum voces omissas deprehendamus: verum quod librarius nullo ferme loco emendationem sibi indulsisse videtur, satis causae est, quod nobis de ea re gratulemur. Secundi sunt praestantia libri Leidensis et Florentinus, quum ille quidem saepius etiam scripturae libri Harlejani suffragetur; uterque tamen, quum ab isto dissentit, non semper illius auctoritatem sua infringit: quum consentit, rem fere extra omnem dubitationem ponit.*) Ceteri codices a Drakenborchio collati, inter quos

*) Gaudeo commentationem de tractatione critica in Livii libris recte factitanda scriptam ab Illust. C. F. S. Alschefskio, praeceptore ordinum superiorum in gymnasio Berolinensi, nunc saltem mihi allatam esse, quae quanquam plurimum in ratione decadum posteriorum explicanda versatur, pauca tamen de prima quoque decade profert. Quo magis haec ad rem meam pertinerent, eo minus huic loco adscribere dubitavi. Haec leguntur p. 17: Für die erste Dekade des Livius bietet sich uns zwar eine sehr große Anzahl von Handschriften dar, aber keine derselben möchte dem Alter und Werthe nach den beiden vorzüglichsten der zuvor angeführten Theile (Intelligi vult codices olim Larishamensem nunc Vindobonensem quinque ultimos libros con-

Vossianus prior cum Leidensi altero eminent, nihil aliud nisi aut scripturam librorum optimorum confirmant, aut

---

tinentem, qui omnium librorum antiquissimus habetur, et Parisiensem tertiae decadis) gleich kommen. Die größte Aufmerksamkeit verdienen unfehlbar der Harleianus I., dem indeß die beiden letzten Bücher fehlen, und der schon öfter erwähnte Florentinus codex. Mit Recht hat Drakenborch auch auf den Leidensis I., der aus der Recension des Nicomachus Dexter eben so wie der Florentiner hervorgegangen, bedeutenden Werth gelegt, und diese beiden Bücher, denen sich eine Wiener Handschrift derselben Recension anschließt, möchten wohl einer Seits, so wie der obige Harleianus anderer Seits zur Grundlage einer neuen Textesgestaltung dieses Theiles dienen können. Doch ist hierbei eben so wenig das schöne Wormser Exemplar, das Reinhard v. Rietpur dem B. Rhenanus zu dieser Decade verschafft, auf dessen erste fünf Bücher Rhenanus in seinen krit. Anmerkungen verweist, zu übersehen, da es gewiß zu den vorzüglichsten Büchern dieses Abschnittes gehörte; wie so manche andere werthvolle Abschrift, die sich hievon in den bedeutenderen Bibliothekstädten Europa's zwar findet, aber noch nicht zur öffentlichen Kenntniß gebracht ist. Nur erst nach einer genauen Durchforschung und Sichtung aller jener mannigfaltigen kritischen Hülfsmittel kann es möglich werden, zu einer befriedigenden Einsicht in diesen Hauptabschnitt des großen Geschichtswerkes zu kommen, dessen erste Anfänge uns den Schriftsteller noch in einem gewissen Schwanken und Suchen nach einer der Würde des Stoffes angemessenen und seiner eigenthümlichen schriftstellerischen Neigung zusagenden Darstellungsweise zeigen, während er sich freilich bald in der seiner Persönlichkeit gemäßen Richtung zurechtfindet und dieselbe mit anerkannter Meisterschaft verfolgt.

manum librariorum emendatricem produnt. Quum igitur codicum tam praestantium tanta sit abundantia, quid de Gronovii ceterorumque virorum lubidine conjiciendi judicandum sit, apparet: nam ut plerasque ingeniose factas esse concedam (quanquam sententiam a vero aberrantem ingeniosam esse nego) multas certe falsas neque necessarias esse, non adeo difficile est demonstratu.

His de universa re disputatis, ex nonnullis librorum primi et secundi locis, ut quisque ad eam rem aptus occurrisset, demonstrare volui, editores valde peccasse eo, quod codicum natura parum inquisita, omnino scripturas librorum optimorum magis, quam par erat, neglexissent.

I. 1. §. 1.

Duobus, *Aenea Antenoreque*, et vetusti jure hospitii et quia etc. omne jus belli Achivos abstinuisse.

Satis mirari non possum, quid sit quod Drakenborchius, alias defensor acerrimus scripturae ab auctoritate librorum optimorum commendatae, hoc loco casus dativi *Aeneae Antenorique*, qui in Mss. Flor. Harl. et Leid. 1. scriptus legitur, plane nullam habuerit rationem, et vulgatam scripturam solam veram esse ratus, uno simili loco ex Horatii satiris allato rem profligatam esse putaverit. Jam Crevierius quidem, librorum consensu ad viam meliorem adductus, dativum in textum recepit, eumque Strothius et Bekkerus sequuti sunt: sed fuerunt, qui ab horum sententia discederent neque quidquam mutari vellent. Quare a consilio meo non alienum esse videbatur, hunc locum retractare, et quoad possem ita explicare, ut res ad finem perducta haberetur. Ac libros quidem jam dixi eos, quos optimos esse et Drakenborchius judicavit et ubivis apparet, Leid. 1. Harl. 1., quem etiam praestantiorem Leidensi esse credo, et Florentinum, de quo tamen Drakenborchii adnotatio nos dubitare jubet, *Aeneae Antenorique* praebere: ut hac librorum auctoritate permoti, si non aperte legibus sermonis scriptura adversetur, eam veram judicare non dubitemus. At negari quidem non potest, *abstinere* semper inveniri cum ablativo casu conjunctum, unde factum est, ut Baumgarten-Crusius etiam non Latinam appellaret lectionem no-

stram, attamen his argumentis ex consuetudine linguae Latinae petitis me de gradu depelli posse non minus nego. Strothius autem rem ita aggressus est, ut Livium aliud verbum in mente habuisse, aliud scripsisse contenderet. Cogitavit ille de verbo *pepercisse*. Quae ratio quanquam habet quo sese in mentem nostram insinuet, quum ita omnis difficultas facillimo modo expedita esse videatur, non satis tamen caveri posse credo, ne ad figuras grammaticas, quas vocant, qualem κατὰ σύνεσιν hoc loco esse volunt, ante confugiamus, quam nulla alia explicandi ratio inveniri potuerit. Aliam autem neque valde isti rationi dissimilem explicationem proposuerim, qua *Aeneae Antenorique* dativos commodi, quos dicunt, esse credo: qua ratione adhibita nihil jam erit, in quo jure offendere possimus. Dixit igitur Livius, in duorum tantummodo Trojanorum, Aeneae et Antenoris commodum Achivos omne jus belli abstinuisse i. e. omnem iram belli coercuisse. Similem dativum legimus Caes. b. civ. 1, 8. Caesarem quoque pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam *reipublicae dimittere* et Liv. XXI, 54, 4. Ita mille equitibus *Magoni*, mille peditibus dimissis, Hannibal prima luce obequitare jubet, quem locum item Perizonius et alii propter dativum non bene intellectum conjectura tentaverunt. Ceterum verbum *abstinere* transitive usurpatum (quod Priscianus II. p. 195. ed. Kr. Graecos quoque ἀπέχομαι τοῦτο dixisse ait, provocans ad Plat. Polit. I. fin., refutatum est jam a Schneidero ad hunc locum) ablativo personae aut rei carere posse, apparet etiam ex Terent. Heautont. II, 3, 132:

Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tusses, risus abstine.

Quum igitur jam exploratum sit, Latine ita dici potuisse, uti in codicibus scriptum legitur, ne ulla quidem

justa dubitationis causa reperietur, quin scripturam librorum optimorum a Livio vere profectam esse judicemus.

1. §. 2.

Et in quem *primum* egressi sunt locum, Troja vocatur, pagoque inde Trojano nomen est etc.

Lipsius adnotat in veteribus libris *in quem primo egressi sunt locum* scriptum esse, quod idem de suis Drakenborchius dicit hac quoque scriptura praeter morem prorsus neglecta. Aeque in libro Veithiano *primo* legi Strothius adnotavit. Editores omnes, Drakenborchius, Kreyssigius, Bekkerus *primum* retinuerunt. Quaeritur tamen, num recte scripturam omnium librorum aut neglexerint aut repudiaverint. Mihi quidem a recta artis criticae via aberrasse videntur, quum si quid aliud *primo* a Livii manu scriptum esse praestare velim. Jam lex ista criticis sancte observanda, quae scripturam difficiliorem quamque aut insolentiorem pro veriore habendam esse praecipit, eos ad rectam viam traducere debebat: quum vocem *primo* in *primum* potius a librariis mutatam esse, quam contra, facilius quisque sibi persuadeat. Nihilo minus tamen recte eos fecisse appareret, si usus vocis *primo* legibus sermonis Liviani imo Latini adversaretur. Me tamen ab hac sententia valde dissentire ingenue fateor, quum structuram quidem non vulgari ratione compositam esse concedam, neque vero *primo* hoc loco ita usurpatum esse negare audeam, ut non possit apte et excusari et explicari. Qui enim primi Livii libros historiarum in lucem ediderunt, in eo offendisse videntur, quod, si *primo* legeretur, res non commemorata esset, quae istud primo factum excepisset. Addito enim loco, in quem deinde egressi essent, nemo de recto

usu vocis dubitasset. Sed alii judicent, num loci, in quem deinde se contulerint, commemorationem non minus in verbis *in quem primum egressi sunt locum* si non desideremus, certe suppleamus. At voci *primo* addi solitae sunt particulae *post*, *deinde*, aliae. Sed rem aliter se habere, neque exempla hujus usus frustra quaeri, docent Ellendt ad Brut. c. 95 Fabri ad Liv. XXI, 33, 11. Sallust Jug. 53, 7. Cat. 24, 1. Et *primo* quum de tempore dicatur, et id significet quod primo tempore i. e. initio factum sit, jam per naturam suam commemorationem accuratam rerum temporis ordine dispositarum non postulare videtur: unde plurimis locis aliquam rem primo factam legimus, neque tamen quae postea facta sit invenimus. Quae res multis fraudi fuit, ut aut totam enuntiationem supplendam censerent aut ad emendandum confugerent. Qua disputatione clare demonstrasse mihi videor, non opus esse conjectura editorum veterum, quum id tantummodo intersit inter utramque scripturam, ut, si *primum locum* legimus, locum istum ex ceteris, in quos deinde se contulerint, primo isto appellando distinguamus: ex nostra autem librorum scriptura Livius locum significet, in quem initio intraverint, neque tam aperte ceteros cogitatione respiciat. Cui ultimae causae quo majorem concesserimus gravitatem ac veritatem, eo rectius lectio a nobis defensa locum suum obtinebit. Sic Reinholdus Klotzius apud M. Tullium pro Milone 34, §. 92. recte *primum* pro *primam* reposuit.

C. 1. §. 5.

Inde ab Sicilia classe ad Laurentem agrum tenuisse: *Trojae* et huic loco nomen est.

Haec Gronovii conjectura, quam postea Florentini codicis auctoritate satis firmatam putavit, ut in textum

recipere posset, ita placuit Drakenborchio, ut huic libro, quam ceterorum omnium eximia praestantia insignium consensui cedere mallet. Drakenborchium sequuti sunt Kreyssigius, Strothius, Bekkerus, quorum tamen omnium virorum auctoritas me non eo perduxit, ut *Trojae* veram scripturam esse judicarem. Strenue autem et accurate res agenda erit, quia plerique grammatici de constructione verborum *mihi nomen est* disserentes Drakenborchii adnotationem ad hunc locum conferri jubent. Etiam Weissenbornius in grammatica sua egregia hunc locum exempli instar primo loco posuit. Id quidem constat, per attractionis genus dativum nominis in structura verborum *nomen mihi est* non minus bene dici, et saepe a veteribus auctoribus Latinitatis usurpatum esse, quanquam nominativum eosdem non repudiasse non minus notum est, ut apparet ex Cic. Tusc. IV, 11. *ei morbo nomen est avaritia* et Ovid. Metam. XV, 96 et aliis locis: etiam accusativum casum cum verbo transitivo Livius usurpavit ut 1, 1 fin. cui Ascanium parentes dixere nomen. 1, 1, 34 Tarquinium Priscum edidere nomen. Conferri possunt de hoc loquendi usu Ochsnerus ad Eclog. Cic. p. 422. ed. tert. et Kritzius ad Sall. Jug. V, 4. qui Cortium, nominativum contra morem classicorum scriptorum facere dicentem, recte refutavit. Ex quibus omnibus locis et ex Zumptii sententia (Grammat. §. 411), qui putat, dativum magis Latinum esse, etiam noster locus recte emendatus videri posset, nisi plane alia et diversa ejus esset conditio. Nam quod jam Bremius ad Nepotis Aristid. 1, 2 „ut unus cognomine Justus sit appellatus" sensisse videtur, quum nominativum casum in ejusmodi locis relatione ad subjectum facta explicaret: id graviorem vim in hunc locum habet, ubi ipsum subjectum ab initio enuntiationis positum attractionem vix admittit. Aperte enim in diversa

re versari videmus locutiones *Trojae et huic loco nomen est*: atque *et huic loco Trojae nomen est*. Et illius quidem generis non modo omnes loci sunt, quos Gronovius et Drakenborchius attulerunt, sed etiam ii, quorum grammatici mentionem fecerunt. Quum enim loci, ut *cui Appio nomen est*, ita explicari debeant, ut *cui Appio* in unam notionem conjungamus, et *Appio* appositionis loco positum esse dicamus; quomodo hunc locum apte explicem nullam invenio rationem. Igitur verendum est, ne viri docti, qui, ut orationem magis Latinam redderent, emendandum esse hunc locum censuerunt, in ipsum vitium inciderint, quod evitare vellent. Sed inde etiam scriptura a nobis defensa fidem majorem accipit, quod nominativus, quem principio Livius collocavit, majorem vim et perspicuitatem habet, quum contra dativum per attractionem cum relativo apte conjunctum vi omni destitutum esse facile pateat et demonstrari queat. cf. Hoffmann in Jahnii Annal. Phil. et Paed. a. 1828. T. II. fasc. 1. p. 13., qui egregie orationis vim nominativo et servari et augeri autumat. —

Ceterum obiter monere placet, quod Kritzius l. l. de genitivo in tali structura praeceperit, non ab omni parte probandum videri. Quum enim casus genitivus non id significet, unde aliquid desumptum est: id quod prima specie etymologia commendatur: sed possidendi notionem habeat, et id exprimat, ad quod aliquid pertinet, cujus aliqua res est tanquam propria, aperte falsus est dicens, isto casu nomen non posse ecferri, quod quis re vera habeat. Ita judico, prima literarum Romanarum aetate Romanos ab isto loquendi usu non abstinuisse, et serioris aetatis scriptores, quod in pluribus sermonis partibus observamus, ad istum usum rediisse. Non recte igitur Kritzius Plauti locum Amphitr. Prol. V. 19. *nomen Mercurii est mihi* emen-

dare voluit: et ex scriptoribus recentioris aetatis permulti loci afferri possunt praeter eos, quos Zumptius ex Vellejo citavit, ut 1, 11. Q. Metellus praetor, cui ex virtute nomen *Macedonici* inditum erat, et 2, 11. Q. Metello nomen *Numidici* inditum est. Quod bona dicendi consuetudo hunc usum repudiavit, ejus rei causa in eo quaerenda est, quod in formula *nomen est mihi* jam notio possidendi inest, ideoque casum eam notionem continentem minus aptum ibi locum obtinere apparet. Praetulerunt casum nominandi, qui rem accurate significaret; aut attractione adhibita dativum cum reliquis verbis arcte conjunctum.

Quodsi recte disputavi, non est cur codicum optimorum scripturam rejiciamus, quum et Florentini *Trojae* facillime ex sequente litera oriri potuisse in promtu sit, neque minus dativus elegantior visus quomodo et librariis et editoribus arriserit, ex aliorum locorum depravatione pateat.

III. §. 9.

Is sepultus in eo colle, *qui nunc est pars* Romanae urbis, cognomen colli fecit.

Aperte rejicienda est in his verbis collocatio verborum, quae in Drakenborchii editione invenitur *qui nunc est pars*, quum causa non perspiciatur, cur notio verbi *est* vel paullulum ecferatur, neque a libris haec collocatio ne minimam quidem commendationem habeat. Bekkerus ex Florentino libro et Leidensi 1. *qui nunc pars Romanae est urbis* scripsit: neque hanc collocationem in Harlejano codice inventae *qui nunc pars Romanae urbis est*, praeferendam esse censeo, quoniam *est* verba Romanae urbis, quae arctissime conjuncta Romae nomen repraesentant (cf. Fabri ad XXI, 35, 9), non bene discindit. Quare aut scriptura Harlejani

libri praeferenda, aut cum Vossiano *qui nunc pars est Romanae urbis* legendum erit. Saepissime in verbis collocandis ab editoribus peccatum eamque rem ab iis paene nihili aestimatam esse, recte notavit jam Weissenbornius in censura Livii librorum XXI et XXII. a Fabrio editorum (Zeitschrift für Alterthumswissensch. 1837 p. 1215).

IV. §. 6.

Ab eo ad stabula Larentiae uxori educandos *latos*.

Miror quod Gronovii conjectura *datos*, quae unius tantum codicis Haverkampiani auctoritate parum firmatur, omnes criticos Livii libris recensendis intentos ita in errorem abduxit, ut nemo de praestantia hujus scripturae dubitaret. Certe Drakenborchius, quum literas *d* et *l* saepe confusas esse demonstrasset, *latos* scripsit, cumque eo Kreyssigius et Bekkerus. Primum autem codicum auctoritatem, quam fere solam sequendam esse cum viderimus tum videbimus, eos neglexisse dolendum est: nam scriptura in Harl. 2 inventa *ab eo latos ad stabula Larentiae uxori educandos datos* a librario profecta est, qui *latos* correctoris manu voci *datos* superscriptum loco suo in textum recepit. Ceteri libri omnes *datos* praebent: et tantum abest, ut editores jure a codicum via recesserint, ut nullam lectionem quam antiquam sententiae magis convenire pro certo affirmem. Quum enim Livius id potissimum significare velit, pueros istos Larentiae uxori ad educationem traditos esse (quare etiam statim in sequentibus verbis dicit ita geniti itaque educati), apparet nostram scripturam multo melius ad hanc sententiam quadrare quam alteram, cui si adstipularemur, vox *latos* potius verba *ad stabula* spectaret, notio educandi autem vi sua privaretur, et tanquam levior, quanquam gra-

vissima est, orationi esset adsuta. Erat Livio vox eligenda, quae verbo *educandus* inserviret, quae ecferret potius quam reprimeret, et aliam notionem minime necessariam immisceret. Non est, quod pluribus rem apertam confirmem, quum *datos* huic loco aptissimum esse quisque vir liberi judicii sit perspecturus. *Latos* autem propter verba *ad stabula* (prope stabula), quae *latos* postulare viderentur, correctum et praelatum esse, non minus apparet, quanquam etiam sine illo verbo omnia recte habent, quum locus significetur, in quem Faustulus pueros ad educationem tradiderit.

V. §. 2.

Ibi Euandrum, qui ex eo genere multis ante tempestatibus *tenuerat* loca, sollemne allatum ex Arcadia instituisse.

Libri Flor. Voss. uterque Rot. Helm. Gud. Harl. 1. et Leid. praebent conjunctivum perfecti *tenuerit*. Drakenborchius, Kreyssigius et B.-Crusius vulgatum retinuerunt: Bekkerus *tenuerit* recepit: neque dubito, quin recte id factum sit. Difficilius quidem est judicium, quum indicativum plusquamperfecti et conjunctivum perfecti saepissime confusos inveniamus, ut Sall. Cat. 18, 3. Sed hic omnium codicum scripturam recte praetulisse videtur Bekkerus, quum primum modus conjunctivus quam indicativus orationi obliquae magis conveniat. Si quis autem conjunctivum imperfecti aut plusquamperfecti ab usu loquendi postulari contenderet, usitatiores quidem modos esse concedimus, perfectum autem ab hoc loco alienum esse non possum non negare. Ut enim saepe perfectum indicativi in enuntiationibus secundariis pro temporibus magis usitatis

positum invenimus, cf. Kritz ad Sall. Cat. XVII, 1 et Fabri ad Liv. XXI, 28, 8, et eo quidem significatu, ut sententia tanquam certa et per se constans neque ab enuntiatione primaria pendens exprimatur: ita etiam in perfecto conjunctivi non offendendum erit, quum haec ennuntiatio secundaria primariae speciem obtineret, quatenus commemoratio ludi deinde ab Euandro instituti rem factam, quod scilicet Euander ista loca tenuerit, consequeretur, cf. Lippert ad Caes. b. Gall. VI, 42 fin. Ceterum qua ratione B.-Crusius *tenuerit* propter scripturam Leid. 2. libri deterioris notae *tenuit* ferendum videri dicere potuerit, equidem non perspicio. Kreyssigium autem, quem in editione sua *tenuerat* servasse supra vidimus, et ipsum postea hanc librorum lectionem probasse, sero vidi in epistola ad Goellerum ab ipso scripta, quae in Goelleri editione l. XXXIII invenitur.

IX. §. 5.

A plerisque rogitantibus dimissi etc.

Jam impugnanda est ratio Drakenborchii et eorum, qui ejus vestigiis institerunt, ne, quum Livius saepe ἀσυνδέτως loquutus sit, plurimis locis ejusmodi orationem etiam contra codicum auctoritatem captemus. Inter istos locos hic quoque numerandus est, in quo quanquam libri omnium optimi Leid. pr. et Harl. pr. etiam Voss. pr. *ac plerisque* habeant, et in Voss. pr. scriba demum ultimam vocis *ac* literae delendam esse censuisset, tamen rationem scribendi vulgatam non reliquerunt. Conjunctio orationem reddit concinniorem et omnino non est, quod scripturam simplicissimam pluribus defendam, quum non modo accurata librorum aestumatio eam postulet, sed etiam usus particulae *ac*, quo in sententia antegressum accuratius definiente et multum

augente adhibetur, scripturae nostrae valde faveat. Cf. Kritz. ad Sall. Jug. 92, 1. Denique multis locis potitus; *ac plerisque* etc. et Fabri ad Liv. XXI, 4, 1 et 53, 4. Quare sententia est: nusquam petitionem connubiorum bene auditam esse: et plerisque quidem rogitantibus dimissos esse: ut et definiendi istam priorem sententiam et magis etiam augendi vim habeat.

XIII. §. 4.

Movet res cum multitudinem tum duces.

Libri Voss. ambo et Harlej. pluralem numerum *movent res* habent: quem ut rariorem praeferendum censeo. Verum est Livium plerumque voculae *res* numero singulari ita usum esse, ut omne id, quod in praegressis narratum esset, contineret (Cf. Klotz ad Tusc. p. 135); et hoc quoque loco singularem numerum recte se habere quanquam nemo negaverit, ex summo tamen artis criticae praecepto hic pluralem reponemus, praesertim quum ratione earum rerum habita, quae timendi causam praeberent, recte plurali numero haec causarum multitudo indicata sit. Simili ratione infra II, 44, fin. contra eosdem pro scriptura, quae vulgo legitur: *ea spes Etruscos armaverat* cum codicibus Florentino, Voss. utroque Harl. 1 aliis scribendum est: *hae spes Etruscos armaverant.* cf. IV, 36, 2, ad quem locum Drakenborchius hunc usum pluralis exemplis firmavit.

XIV. §. 5.

Consilio etiam unius hominis addita rei dicitur fides.

Pariter atque in locis jam tractatis auctoritatem codicum neglectam esse videmus, quum optimi libri Flor.

Harl. 1. et Voss. 1., de quorum praestantia jam dubitari non potest, voculam *et* ante *consilio* addant. Mirandum etiam, quod Bekkerus scripturam codicis Florentini, quem solum sequebatur, non recepit, quum Ruhnkenii adnotationem ad Vell. I. 17 p. 67. eum fugisse non credam. Neque caret haec constructio commoda explicatione, quia *et* conjungendis orationis partibus inservit: *etiam* autem vim propriam retinet, cf. Hand. Tursell. II. p. 521, qui quid in his verbis conjungendis viros doctos quosdam offenderit, nunquam satis cognitum esse ait. Ac loci permulti ex Livio aliisque scriptoribus deprompti conjunctionem vocularum *et — etiam* saepissime adhibitam esse declarant. cf. Goerenz. ad Cic. leg. 3, 2, 4. Brem. ad Nep. Attic. 18, 4. Kortte ad Cic. l. 13. ep. 7..

XVII. §. 1.

Patrum interim animos certamen regni ac cupido versabat: nec dum *ad singulos*, quia nemo magnopére eminebat in novo populo, *pervenerant factiones*: inter ordines certabatur.

Majorem hoc loco videmus lectionis discrepantiam, quae quidem non in libris scriptis, sed in editis observatur. Drakenborchius scripturam vulgo editam: *necdum a singulis pervenerant factiones: inter ordines certabatur* in textu retinuit, quanquam ipsam non genuinam sibi visam esse concedens, nesciens tamen quomodo se ex loco tam impedito expediret. Libri optimi Flor., Harl., Voss. pr. aliique hunc locum sic scriptum habent: *necdum a singulis pervenerat: factionibus* inter ordines certabatur, quae librorum scriptura Graevio persuasit, ut locum ita emen-

daret: *necdum ad singulos pervenerat: factionibus* etc., quam conjecturam Kreyssigius, B.-Crusius et Bekkerus adeo comprobarunt, ut in textum recipere non dubitarent. Attamen hanc conjecturam non modo audaciorem, sed etiam sententiae loci contrariam esse haud scio, an facile sit demonstratu. Audaciorem esse conjecturam, quam liceat sibi indulgere, unicuique in promptu est, qui tales mutationes a librariis, qui libros antiquissimos et optimos scripserunt, raro factas esse meminerit, non modo praepositionum *a* et *ad* (nam vestigium voculae *ab* non invenitur), sed etiam syllabarum *is* et *os*, quod casuum distinctionem efficerent. Verum inepte etiam *factionibus* cum verbis sequentibus conjunxerunt, quum aperte certamen ordinum et certamen factionum inter se opponantur, et Livius ad factiones, in quibus singuli praevaluissent, rem nondum pervenisse dicat, sed inter ordines tantummodo certamen fuisse, qui, quum nemo unus prae ceteris dignus regno judicatus esset, suam quisque auctoritatem servare voluerat, ut ex ipsius civibus, cuicui fors sortem obtulisset, rex novus eligeretur. Quare non recte B.-Crusius: factionibus, inquit, quae singulis opponuntur, inter ordines certabatur. Vocem *factionibus* igitur sequentibus verbis junctam ab loci sententia abhorrere patet: quam si cum antegressis conjunxerimus, aptissimam et paene necessariam esse videbimus. Nam quum in his verbis de factionibus sermo sit, quas nullas singulorum fuisse dicit (factiones enim non opponuntur singulis, sed circa singulos conformantur) *factionibus* cum *singulis* conjungendum est, qua ratione haec erit sententia: nondum a singulis factionibus certamen pervenisse. Enimvero ad *pervenerat* supplendum esse certamen, jam Gronovius viderat, qui idem in eadem re lapsus conjecturam *ad singulos* probavit. Pervenire autem aliquam dubitationem movere patet, quippe

quae vox fere addito loco, ad quem quis pervenerit, usurpetur. Saepe etiam absolute dictam invenimus, ut XXII, 18, 2 *nisi Hispanorum cohors, ad id ipsum remissa ab Hannibale, pervenisset:* ubi Bekkerus cum Gronovio *supervenisset* scripserunt, Fabri autem recte contra istos viros et contra Doujatii conjecturam *praevenisset* B. Crusio et Kreyssigio probatam, omnium librorum scripturam servavit. Itaque, quanquam valde non obstarem, quin pro *per*venerat levi mutatione facta *pro*venerat scriberetur, non causam invenio, cur *per*venerat soloece dictum censeamus, quia, quo pervenerit istud certamen, supplere possis ex verbis antecedentibus, quibuscum haec arctissime cohaerent, neque gravi interpunctione sejungenda sunt, *animos* patrum, quos certamen regni versabat. Sententia igitur verborum haec esse videtur: animos patrum certamine regni vexatos esse; nondum tamen singulis factionibus id factum esse, sed gentium aemulatione. Jam omnia aperta sunt: simulque quod conjectura ista ab hoc loco aliena est: quum etiam Livius, unde nondum provenerit certamen, quam quo pervenerit indicare mallet.

XIX. §. 6.

Atque omnium primum ad cursum lunae in duodecim menses describit annum.

Non recte hoc loco neglecta est scriptura librorum optimorum *cursus lunae*, quae non modo in codice Buslidiano Nannii, sed etiam in Harl., Voss. et Leid. inventa est. Cujus lectionis cur editores rationem non habuerint, ne minimam quidem causae speciem conspicio. Sed quod saepissime factum est, ut lectionem vulgatam quasi antiquiorem loco non moverent, nisi omnis sensus in scriptura

illa sublatus esset, hoc quoque loco videmus, quum sine ista negligentia et securitate pluralis numerus haud dubie receptus esset. Accedit autem ad librorum auctoritatem ratio totius loci, quae pluralem tantum abest, ut non admittat, ut tanquam elegantiorem et significantiorem paene postulare videatur. Quum enim descriptionem mensium duodecim secundum lunae cursum (teneo vulgarem cursum) factam esse dicat, nonne aptissime et plane ex indole sermonis Latini hic *cursus* lunae memorat, qui singuli mensium singulorum fines circumscripserunt. Non est, quod de re aperta pluribus explicem, praesertim quum ad rationem nostram confirmandam locus Ciceronis egregie faciat, qui legitur de nat. Deor. II, 27, ubi item de novem cursibus lunae sermo est.

XXVII. §. 8.

Etrusca res quanta circa nos teque maxime sit, *quo propiores vos*, hoc magis scis.

Libri plerique *quo propior es Volscis* scriptum habent, quod tamen huic loco non convenire, jam interpretes veteres censuerunt, quum Volsci non ad Etruscam gentem, de qua sermo est, sed ad Latinam pertinuissent. Quare Jacobus Gronovius in epistola prima Vejis pro Volscis scribendum esse conjicit, populi nomen substituendum esse ratus. Neque defuerunt, qui huic conjecturae palmam tribuerent, ut Drakenborchius et Bekkerus, qui alter etiam in textum recepit. Negari quidem non potest, Gronovii conjecturam ejusmodi esse, ut sententiam, quae in verbis inesse debet, recte restituat, quum Veji ad Etruscam gentem pertinerent, ideoque Etrusca re nominata, Vejorum etiam mentio fieri posset. Minus placet scriptura codd. Harl. 2 et Lips.

Etruscis, quam **Strothius** et **Kreyssigius** receperunt, quum talis Etruscorum repetitio displiceat. Redeundum autem erit ad librorum scripturam, quae aperte corrupta quomodo nos ad scripturam genuinam perducere possit, videamus. Credo autem Volscis ortum esse ex *Vobis* per compendium scripto, quae scriptura quam facile in Volscis ab iis mutari potuerit, qui secundum XXXI, 31 *vos, quo propiores Macedoniae estis, eo melius scitis*, nomen populi hic scriptum fuisse conjicerent, in aperto est. Certe non video, cur Vejorum potissimum mentionem fecerit, qui Fidenates Etruscos quoque fuisse, et bellum in ipsis prope portis Romae a Fidenatibus, *nimis vicinas* prope se crescere opes ratis, excitatum esse supra c. 14 dixit. Ceterum de Fidenatium vicinia cf. Strabo V. c. 3. p. 372 et de Vejorum distantia Dionys. Halic. II. 54, qui istam urbem circiter quadraginta, hanc centum stadia ab urbe afuisse tradunt. Accedit, quod ex Dionys. III, c. 6, quem locum Strothius attulit, Vejentium et Fidenatium foedus contra Romam factum esse, eosque Fidenas convenisse narrat. Quae omnia Gronovii conjecturam debilitant. Verba autem: *quo propior vobis est*, nihil offensionis habent, quia *res*, ut de republica usurpatur, ita etiam magis universam notionem habuisse constat. Verum concinnior quoque fit sermo, quoniam oratio pluribus subjectis, quae vocant, non disturbatur, sed simplissimam speciem praebet.

XXXII. §. 4.

Qui ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum cetera egregium ab una parte haud satis prosperum fuerat, longe

antiquissimum ratus sacra publica facere: omnia ea etc.

Mire ad verba *longe antiquissimum ratus*, in quibus codices plerique iique boni voci *longe que* addunt, Drakenborchius haec adnotavit: „copulam *que* omisit etiam (nam Buslidianum et Chiflet. omisisse Gronovius memoravit) Leid. sec. et Portug. a. m. pr. ex contextu itaque, cujus sensum turbat, ejeci", quum libros, quorum auctoritatem hic sequitur, ab ipso nihili aestumatos esse sciamus. Vocula *que* autem genuina est, quum quomodo deleri potuerit a librariis in promptu sit, non item contrarium appareat. Quod autem idem particula ista sensum turbari ait Gronovii ratiocinatione fretus, scilicet quod non tres causae, sed duae tantum commemorarentur, et ipse ego duas causas memorari fateor, idem tamen particulam *que* loco movendam esse nego. Ancus Marcius, inquit Livius, et avitae gloriae memor, et proximi regni haud satis prosperi, quod religionibus neglectis tribuit, et quum omnino sacra publica a Numa instituta rite perpetranda censeret, Numae instituta in publico proponi jussit. Videmus igitur enuntiationem *longe antiquissimum ratus* non novum aliquid adjungere, sed paucis id repetere, quod in praecedentibus inerat: qualis sententia bene ita, ut factum est, adnecti potuit. Neque, si haec in nostram linguam transtuleris, offendes: eingedenk des urgroßväterlichen Ruhms — und da er es für eine Herzenssache hielt, die öffentlichen Opfer wieder herzustellen ꝛc.

XXXII. §. 11.

Quarum, rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato

priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis, quas res dari, fieri, solvi oportuit, quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt.'

Sine ulla dubitatione Gruterus hoc loco verba depravavit, eorum ordinem ab Aldo restitutum temere invertens: et Drakenborchius ac recentes editores eum sequuti erraverunt. Praesto enim ordinem verum hunc esse, *quas res nec dederunt nec fecerunt, nec solverunt, quas res dari fieri solvi oportuit*, quem ordinem etiam Harlej. antiquior, cujus solius vestigia in pluribus locis premenda esse vidimus, Havercamp. et Fragm. Havercamp. servarunt. Inepta enim esset repetitio unius ejusdemque sententiae continuo se excipiens, quum in verbis *quarum rerum condixit pater* nihil aliud insit, nisi id, quod verbis *quas res dari oportuit* expressum est. Sed prorsus alia res est, si ex mea sententia verborum ordinem invertimus sive ordinem verum restituimus, quo verbis *quas res dari oportuit* sententia finitur. Quo facto repetitio ista sermoni antiquo aptissima videtur, quia ad finem res, in qua summa vis inest, quod res dari oportuit, satis graviter et accurate repetitur. Neque raro hujus usus exempla inveniuntur, ut, quae sententia agmen duxerit, eadem concludat.

XXXVIII. §. 2.

Dedimus. *At* ego recipio.

Non video, cur editores scripturam librorum optimorum: *et ego recipio*, quam cum Florentino Harl. antiq. et Leid. pr. Lips. praebent, non praetulerint. Neque causa afferri potest, quae antiquam scripturam loco moveri jubeat, quum particula *et* huic loco plane conveniat. Arctissime responsa

ita conjunguntur, et verba: *et ego recipio*, intelligi debent, quasi dixisset: vos dedistis et ego recipio. Quid est, in quo offendas? Ceterum conferri possunt, quae *Handius* Tursellin. II. p. 990. bene de hoc usu disputavit.

XL. fin.

Cum intentus in eum se rex totus averteret, alter elatam securim in caput dejecit.

Codices optimi *dum averteret* habent, *cum* autem Gronovii conjectura est, qui, si non *cum* tenendum esset, certe *dum avertit* scribendum fuisse dixit. Cui etiam Bekkerum obsequutum esse miror. Bauerus in chrestom. Liv. p. 45. scribere voluit, *dum averterat*, dubitans tamen, num particulam *dum* plusquamperfectum sequi posset. Similis tamen locus legitur XXXII, 24, 5 *dum in unam partem oculos hostium averterat, pluribus locis scalis capitur murus.* Sed plusquamperfectum huic loco parum convenire jam Buettnerus monuit. Eodem modo atque hoc loco Gronovius XXI, 43, 1. pro *dum* dimisisset scripsit *cum* dimisisset. Difficile sane est judicium de his rebus, quum loci ex lege, quam Gronovius ad hunc locum proposuit et Drakenborchius sanxit, plurimi emendati sint, ac paene omnes grammatici eorum vestigiis institerint. Idem fecit etiam Handius Turs. II. in voce *dum*, qui in ejusmodi locis indicativum praesentis solum rectum esse judicavit. Modum indicativum inprimis in usu fuisse, et multi loci docent, et ipsa rei natura demonstrat, cf. Walch ad Agricol. p. 406. Sed accurate quaerendum est, utrum locis, qui conjunctivum praebent, paucis illis quidem, sed omnium codicum eorumque optimorum auctoritate firmatis, medicina adhibenda sit, an recte se habeant. Videamus primum locum Nepotis in vita Timo-

leontis §. 14., ubi haec leguntur: *Nam, dum res conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere,* ad quem locum Bremius haec adnotavit: Hier soll nämlich die Handlung als bedingt möglich dargestellt werden, so zwar, daß alle Bedingungen vorhanden waren, welche erfordert wurden, um die Sache wirklich machen zu können, die Wirklichmachung selbst aber doch noch von Umständen abhing. Hanc sententiam, cui similem Herzog., ad Caes. b. civ. III, 10 protulit, non probavit Handio, qui l. l. p. 318. aut recentiorem consuetudinem a Cornelio adscitam aut scripturam falsam esse autumat. Quare Guentheri conjecturam *quum* scribentis praeferendam esse censuit. Solum autem rectum est judicium, quo conjunctivum modum aliquid, quod secum quispiam cogitet, exprimere putamus. *Dum rem confici putat,* in praesidium abierat i. e. isto tempore, quo rem ex composito confici putabat, in praesidio fuit. Inest in verbis *procul in praesidio fuit* descriptio facti ex cogitatione rei tunc conficiendae apti. Ita hic locus non multum ab iis differt, quos Handius p. 317 etc. recte conjunctivum admittere dixit. Sed jam redeamus ad Livii locum, ad quem Gronovius legem istam proposuit, quam migrare editores nefas habuerunt. At quum aliis locis imperfectum conjunctivi non emendandum esse viderimus, tum hoc loco paene elegantius esse videtur, quam illud, quod viri docti ediderunt. Postquam enim Livius homines ferocissimos duos ad regis caedem delectos esse dixit, sic pergit: *Unus rem ex composito orditur. Dum intentus in eum se rex totus averteret,* alter elatam securim in caput dejecit i. e. necat regem eo tempore, quo eum totum se avertere putat. Indicatur igitur conjunctivo istius viri, cui provincia regis interficiendi data est, de facti opportunitate meditatio. Eodem modo de omnibus locis judicandum est, in quibus *dum* cum conjunctivo iat

conjunctum editores offendit, ut paene ubique *quum* reponi vellent. Neque ceterarum conjunctionum, quae temporis notionem habent, *quum, postquam etc.*, alia ratio est, uti in oratione de imperio Cn. Pompeii c. 4. §. 9. verba *postea quam — aedificasset*, satis confirmant.

XLIII. §. 13.

Quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, *quae habitabantur partes*, *tribus eas* adpellavit.

Sic hic locus in omnibus editionibus scriptus invenitur. Sed libri optimi Harlej. 1. Flor. Leid. 1., ut de aliis taceam, *collibusque, qui habitabantur, partes* etc. habent, et in solo Vossiano primo, cui libri recentiores suffragantur, *qui* in *quae* mutatum invenitur. Sed libri Vossiani non eam esse auctoritatem, quam ei tribui voluerunt, ex plurimis locis apparet, ubi correctoris manum eum expertum esse videmus. Quod etiam de hoc loco valet, in quo scriptura librorum *qui habitabantur* reponenda est. Primum enim tantum librorum illorum auctoritati tribuendum est, ut, etiamsi utram lectionem praestare judicemus dubium sit, eam recipiamus, quam a Livio profectam esse sit verisimillimum: deinde autem magis etiam huic loco hanc scripturam convenire pro certo habeo. Livius enim collibus, qui habitati essent, i. e. ex collium, non omnium, sed habitatorum regione et numero urbem a Tullio divisam esse dicere voluit, et partes divisas tribus appellatas esse, quum sententiam, ex qua urbem collibus divisam, et partes habitatas tribuum nomine nuncupatas esse dixisset, ei imputare nolim. Notio enim addita esset, quae

jam in antecedentibus inesse deberet, quum collibus urbe divisa, partes, quas tribus appellaret, habitatas fuisse non esset quod commemoraret. Ita autem explicandam esse alteram scripturam, quasi dixisset partes eas, quae habitabantur, tribus appellavit, partim ex loci structura apparet, partim Conradus Heusingerus praeivit ita vertens, und nannte diese damals bewohnten Theile Tribus. Postremo autem etiamsi verba *quae habitabantur partes* cum antecedentibus ita conjungere volueris, ut enuntiatio explicativa esset: non bene *partes* de collibus dici potuit, quum Livius non de collium partibus, sed potius de totis collibus iisque tunc habitatis dixisse putandus sit: imo voces *partes eas* ad verba *quadrifariam divisa* referendas esse, mihi quidem luce clarius esse videtur. Scribas igitur mecum: collibusque, qui habitabantur, partes eas (haec pronominis collocatio, quam libri postulant, ab iisdem librariis, qui lectionem modo defensam corruperant, mutata est itaque nostrae scripturae suffragatur) tribus appellavit: neque quidquam offensionis superabit.

II.

I. §. 2.

Quas novas ipsi sedes ab se auctae *multitudini*.

Recte quidem jam Gronovius genitivum restituendum esse vidit, sed, quam scripturam ipse ex more suo non in textum receperat, eandem Drakenborchius, Kreyssigius, Bekkerus repudiaverunt. Verum tamen scripturam librorum optimorum Harl. antiq. Leid. pr. optimam esse mihi persuasum est. Primum enim quod *novas* ad *partes* rettulit Drakenborchius, neque cum *sedes* conjunxit, quae ratio multo simplicior et

aptior est, in ea re errasse videtur. Et quum grammaticae ratio arctiorem conjunctionem verborum postulare videatur, tum sensus requirit, quia minus bene partes novas dixisset, quas condidisse reges jam dixerat, quam istas partes sedes novas fuisse easque multitudinis a se auctae, quae antea alias sedes habuisset. Inde autem simul apparet, cur genitivus dativo praeferendus sit, quum verba *sedes ab se auctae multitudinis* unam notionem contineant, ideoque melius ita proferantur, ut pars enuntiationis clausa sit: quae non clausa est, dativo scripto, quum ejusmodi dativi magis ad totam sententiam pertineant. Displicet etiam duplex dativus. *Multitudini* autem ab iis scriptum esse conjicio, quibus *ipsi* nominativus pluralis et dativus multitudini elegantior visus esset.

II. §. 1.

Regem sacrificulum creant.

Harl. 1. et Leid. 1. sacrificorum: sacrificiorum Voss. 2. Portug. Lips. Dresd. Harl. 2. et nonnulli Hearnii libri habent: sacrificolum in Florentino scriptum est, et vulgatam scripturam *sacrificulum* unus Voss. 1. praebet. Non bene autem huic loco a Viris doctis consultum esse, qui scripturam *regem sacrificulum* praetulerint, certis argumentis demonstrari posse credo. Dicit Livius, quia ad reges munus sacrum pertinuisset, ne regum desiderium esset, aliquem creatum esse, cui provincia ista mandaretur: eumque regem esse appellatum. Regem istum esse nominatum, hoc loco prae ceteris erat notandum: quare cui rei praefuerit rex, simpliciter addendum erat per vocem *sacrificiorum*, non autem nomine, quod fortasse jocose datum tituli vim accepit, quanquam quum apud Ciceronem et alios scriptores, quantum

ego sciam, nunquam inveniatur, vulgari tantum sermoni proprium fuisse verisimile est. Alio loco, ubi eorum mentio fit, quum ibi a magistratibus aliis distinguantur, bene reges sacrificuli dicuntur, VI, 41, 9. *vulgo ergo pontifices, augures, sacrificuli reges creantur*, sed hoc loco, quo oppositionis aliqua vis est, et res simpliciter narratur, minus apte regem sacrificulum nominaret, quem regem, scilicet sacrificiis praefectum, appellare debebat. Certe codices, qui *sacrificorum* praebent, magis nostrae sententiae suffragantur, quam ceterorum. Quomodo autem *sacrificulum* oriri potuerit, docemur Florentini lectione, in quo libro litteris *r* et *l* confusis *sacrificolum* scriptum legitur. Num omnino rex sacrificulus dictus fuerit, quum unus locus Livii supra dictus hanc appellationem teneat, eam quaestionem inter eas referendos esse censeo, quas explicare quidem, sed non certo dijudicare possimus.

IX. §. 6.

Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum *omni sumtu*, ademtum privatis.

Hanc librorum scripturam Drakenborchius, quanquam ipse falsam judicaverat, quippe qui Gronovii conjecturam praeferendam censuisset, in Livii verbis tamen retinuit. Verba, uti in libris scripta sunt, corrupta esse neque ne tolerabilem quidem explicationem admittere apparet. Ut aliorum nugas omittam, Turnebi sententia qui verba *omni sumtu in publicum* ita explicanda esse dixit: sumtu illo et onere in rem publicam recepto, nuper ita probata est Doeringio, ut cum Clerico ejusmodi participium excidisse suspicaretur, et de sumtu salis conficiendi in publicum translato explicaret. Quae

ratio quantum ab omni simplicitate et orationis elegantia abhorreat, non est, quod argumentis demonstretur. Quare Gronovius, cui de loci depravatione persuasum esset, conjectura locum tentavit et *omne sumtum* scribendum esse conjecit: quae conjectura ita omnium applausu accepta est, ut omnes deinceps editores si non in textum recepissent, certe tanquam unam veram praedicarent. Docta est et ingeniosa viri clarissimi de hoc loco disputatio, et talis, ut multos Gronovio dicto audientis fuisse non valde miremur: at vereor, ne speciosior quam verior sit. *Arbitrium* enim (nam ut accuratius judicari possit, ipsius sententiam quamvis notam repetam) pecuniam vectigalis interpretatur, quam socii solverent rei publicae ob jus monopolii. Comparat Ciceronis locos in senat. p. redit. c. 7. p. dom. 37. in Pison. 9. in quibus omnibus arbitria funeris memorantur, ut jam, quod vocem *arbitrium* nisi cum funere conjunctam non a vulgari ratione decedere vidisset, scrupulum ei injicere potuerit. Neque vero ad istos Ciceronis locos explicatio ista pertinere videtur, quum jam Ernestius Clav. Ciceron. in verbo *arbitrium* omnes impensas significatas esse rectius dixerit, quae in funere fierent. Hinc sumtus funeris ob aliquam ignotam mihi illam quidem sumtuum in funeribus faciendorum consuetudinem arbitria dictos esse colligitur, ut arbitria ad alias res etiam alia significatione transferre temerarium esse videatur. Obtinenda est igitur etiam hoc loco vis vocis usitata, qua voluntas alicujus et lubitum significatur. Ac rem multo simplicius narratam et significantius expressam esse credo. Sed simplicitatis cum doctrina nulla est conjunctio, quum doctissimum quemque facillime a simplicitate declinare videamus. Dicit igitur Livius, non jam ex arbitrio suo privatis i. e. publicanis salem vendere licuisse.

Superest, ut de verbis *in publicum omni sumtu* sententiam nostram proponamus. Satis certo autem ex iis, quae praedixi, apparet, sententiam verborum aliam esse non posse nisi hanc: non jam a privatis salem ex arbitrio venditum, sed publice vendi coeptum esse. Quod non inest in Gronovii conjectura *omne sumtum*, quum ex sententia sua praejudicata omnia ad arbitrium referret. Explicat non ad hastam locaverunt sociis, sed ad se receptum patres actoribus publicis mandaverunt. Quam recte autem vectigal pro salis locatione solvendum in publicum omne sumtum dicatur, non ambigimus, quum primum non appareat, cur *omne* addiderit, quod de omni sale recte dictum esset, de omni vectigale dictum ne intelligitur quidem. Deinde quomodo vectigal in publicum sumtum dicere potuerit, non demonstratur locis a Gronovio additis. Omnino autem de his verbis valet, quod de explicatione vocis *arbitrium* supra diximus. Eo accedit, quod liberior est conjectura et magis, quam opus sit, a librorum vestigiis recedit. Mea autem sententia, qua *venibat* de sale intelligimus, etiam salem omnem in publicum sumptum esse Livius dicit. Idcirco solam probo conjecturam *omni sumpto* a Divaeo? primo factam, deinde a Lipsio probatam, mihi quoque inter legendum obversatam. Quod autem Gronovius de hac conjectura pronuntiat, non sermone tolerabili esse, quo nomine eam ita appellaverit, equidem non video. Primum enim ablativi absoluti rectissime hic se habent, et quum sal in iis, quae praecesserunt, notio primaria fuisset, de nulla alia re nisi de sale intelligi possunt. Si sal subjectum fuisset, profecto dixisset Livius omnis sumtus, ademtus privatis: sed quum arbitrium hunc locum obtineret, arbitrium autem dici non posset in publicum sumptum esse, hoc per ablativos absolutos dicendum erat. Et aptius certe

dicitur sal in publicum sumptus, ut publice sal veniret, quam quod Gronovius somniatus est de vectigale. Litterae autem *u* et *o* quam facile inter se commutari potuerint, et per se apparet, et hoc loco eo magis, quo facilius librarios voci *omni* substantivum addere voluisse conjicitur.

XI. §. 1.

Porsena — trans flumen trajiceret.

Quum aliis locis, de quibus iam disputatum est, non recte editores fecisse ostenderimus, quod scripturam librorum optimorum auctoritate nixam in verba scriptoris recipere dubitarent, tum hoc loco apparebit Drakenborchium ejusque asseclas exemplorum alius generis multitudine ductos injuria lectionem veram sprevisse. Libri antiquiores, ne Vossiano quidem excepto, quod Gronovius ait, et editiones usque ad Drakenborchianam lectionem *trajiceret* praebent, qua quum Gronovius se *trajiceret* malle dixisset, Drakenborchius auctoritate Leid. 2., qui ex Vossiano libro descriptus lectionem ex lineola deleta in ipso ortam habet, Harl. 2. Port. Dresd. et Haverkamp. *trajiceret* in textum recepit. Cui quum auctoritas librorum adversetur — auctoritas enim librorum, qua se mutavisse scripturam ait, nulla est — tum etiam a sententia loci ne minimam quidem habet commendationem. Ex locis a Drak. allatis et ex verbi natura certum fit, trajicere nisi de eo, qui ipse aliquem secum vehat, non dici. Quid autem hoc loco cogat, ut de Porsena milites praedatum ituros comitante cogitemus, non video, quum nihil impediat, quominus, quod de militibus dictum sit, de ipso Porsena eorum duce explicemus. Sed multo etiam praestat Livium putare militum tantummodo, non Porsenae mentionem fecisse, quem ne in praelio qui-

dem cum Romanis commisso memorasset, neque posthac, ubi praedatorum calamitatem narravit, eum appellaret, sed solos milites, quorum etiam eodem modo plures flumen trajecisse infra ait, commemoraret. Nonne etiam magis convenit, Porsenam milites suos praedari jussisse, ipsum autem rem minus honestam et rege indignam sprevisse. Qui autem factum sit, ut *trajiceret* in codicibus recentioris aetatis scriberetur, facile est intellectu, quia librarii orationem ita formare voluerunt, ut cum *sineret* alterum verbum conveniret.

VI. §. 8.

Ne ab obsidibus quidem — *ira belli abstinuit.*

Miro modo hoc loco variant lectiones librorum, quorum suos quidem Gronovius omnes *ira belli hostilis* habere dicit. Ab Harl. 1. Leid. 1. autem cum Florentino Drakenborchii adjectivum *hostilis* abest. Invenitur tamen in libris recentioribus Lips. Harl. 2. aliis. Idem de libris Palatinis Gebhardus contendit. Jam primum quaeritur, utrum omnino abjiciendum sit istud vocabulum, id quod Bekkerus fecit, an retinendum aut mutandum. Prorsus autem abiiciendum esse negaverim, quum in optimis libris vocem saepius omissam quam additam esse observaverim, et Gronovii libros melioribus adnumerandos esse credam. Sed alia superest quaestio utrum cum Drakenborchio et libro Vossiano scribendum sit *iram belli hostis abstinuit*, an ex Gronovii conjectura *ira — hostilia abstinuit*, quam utramque structuram suam quisque exemplis satis firmarunt, an *hostilis* retinendum sit. Contra Drak. sententiam facit consensus omnium librorum praeter Vossianum in nominativo *ira* et Harl. et Leidensis in adjectivo *hostilis*. Multo ve-

ri similior est Gronovii conjectura, quum *hostilia* saepissime a Livio et ab aliis scriptoribus usurpatum esse non ignoremus. Igitur, si conjectura opus est, aut hanc recipiendam esse puto, quum paene nihil a librorum scriptura absit, aut *hostilis* retinendum est, quia pariter ac Cicero pro Cluent. 5. *odium hostile* dixit, sic Livius iram belli, ut vim verborum augeret, hostilem dicere potuit.

XXV. §. 4.

Eques usque ad castra pavidos egit hostes.

Voss. 1. Harl. 1. et Leid. repetunt verbum *hostes*, quod quum abesse posset, Drak. in textum non recepit. Quae quidem causa vocis abjiciendae ejus modi est, ut a Drakenborchio dictam esse mirer. Non est autem, quod in voce repetita offendamus, quum Livium a repetitionibus unius ejusdemque vocis non abstinuisse ex ipsius Drak. adnotatione ad I, 3, 9. quo is multa exempla congessit, videamus. At ne causa quidem, cur repetere voluerit *hostes*, frustra quaeritur, quia ex verbis insequentibus *mox ipsa castra diruta* conjici potest, Livium *hostes* castris opponere voluisse, ideoque in extrema annotationis parte collocasse.

XXXII. §. 10.

Nec dentes conficerent.

Optimi libri Harl. 1. et Leid. 1. *nec dentes quae conficerent.* Florent. *nec dentes qui conficerent.* „Quid librarii voluerint, cogitent acutiores. Certe errarunt.“ Sic Drakenborchius. Quanquam minime id mihi assumo, ut acutior mihi esse videar Drakenborchio, tamen ad-

verba accuratius inquirenda me accinxi, quum aliquid, quod a Livio profectum sit, in his verbis latere consensus librorum optimorum pervincat. Quum autem de pronomine indefinito cogitassem, pluralis numerus non recte se habere mihi videbatur. Verba enim, quae praecesserant, *nec os acciperet datum* singularem potius postulare quam pluralem, apparet. Quare quia in Florentino libro *qui* scriptum inventum erat, *quae* et *qui*, parum observato compendio, ex *quid* ortum esse putavi. Ita autem quanquam conjectura, necessaria tamen visa, verba restituenda esse credo. Quum enim hoc loco *nec* nihil aliud sit quam *ne* continuatum, uti in verbis: *ne dentes quid conficerent*, nemo offendisset, ita etiam in hoc loco omnia plana esse videntur. Certe quomodo istud *quae* et *qui* in optimos libros irrepserit, non video, et concinnitas orationis, quod singulis orationis partibus suum cuique objectum dedit, id etiam in hac ultima parte postulare videtur.

XXXV. §. 6.

Venientem Volsci *benigne* excepere: benigniusque in dies colebant.

Cum optimis libris Harl. 1. Leid. 1. et Florent. *benigni* restituo, quod Drakenb. ob sequens adverbium *benignius* ineptum esse censuit. Neque a Bekkero vox in jus suum restituta est. Usitatissima autem structura, cujus permulta exempla ad hoc caput dedit Drak. et Fabr. ad Liv. XXI, 55, 3. cur abstinuerit hoc loco Livius, causa nulla est: neque adverbio sequente ut a Livio hoc quoque loco *benigne* scriptum esse putemus cogimur, quum eodem modo hic variare potuerit, quo alias etiam adjectiva et adverbia conjunxit, cf. Hand. Tursell. II, 102. et Fabri ad XXI,

8, 1. In priore loco autem erat, cur aptius etiam adjectivum praeferret, quia Volscorum nomen modo praecesserat, ad quod *benigni* non minus quam ad *excepere* pertineret. Jam vero aliud quid de iis praedicaturus, ut ista notio magis in eo, quod ediceretur, quam in subjecto paullulum remoto adhaereret, bene instituisse videtur. Tantum igitur abest, ut rationi orationis concinnioris verba repugnent, ut aptius et rectius loqui ille non potuerit.

XL. fin.

Non inviderunt laudes suas mulieribus: *monumento quoque* quod esset, templum consecratum est.

Cujacius ex codice suo haec supplet: tunc enim primum sancitum fuit, ut mulieribus de via cederetur, ut inauribus aureis, ut purpurea veste, ut aureis segmentis, ut novo vittae discrimine uterentur. Cujacii codicem eundem esse ac Lovelianum I., illum certe optimum fuisse ex tribus libris a Cujacio ad Lipsium missis videmus ex iis, quae Kreyssigius Melet. Crit. p. II. p. II — IV exposuit. — Neque tamen istum librum ceteris magno opere praeferendum esse ex ejusdem viri adnotationibus ibi promulgatis apparet. Idcirco quum ne vestigia quidem verborum auctoritate Cujacii addendorum in libris reliquis supersint, ita de his verbis judicandum est, ut a viro docto quodam ad locum explicandum adscripta esse credamus. Gronovius verba *adeo sine obtrectatione gloriae alienae vivebatur* παρενθετικῶς scribenda et *monumento quoque* in *monumentoque* mutandum esse censuit. Quem sequuti sunt Dra. et Bekkerus, quorum alter, quanquam non in textum recepit, affirmate tamen hanc conjecturam veram esse judicavit. Non recte quidem. Neque puto istos viros contra morem omnium librorum aucto-

ritatem deserturos fuisse, nisi Gronovius, quem non minus saepe ipsa Livii verba quam librariorum commenta correxisse vidimus, eos a ratione vera abduxisset. Quod autem dixit Gronovius: si quis honos alius matribus familias habitus et a Livio narratus esset, recte interponie *quoque*: persequi enim illum eandem rem, quam incepisset: primum non recte dicit *si quis alius honos habitus esset*, quum ex Valerio Maximo l. 2, 1. et ex ista adnotatione antiqua, honores alios etiam esse habitos appareat. Quod autem deinde dicit, non opus fuisse haec a Livio commemorari: minime eandem rem persequitur, quum verbis *non inviderunt laudes suas* recte opponi potuerit: *monumento quoque*. Quaequae fuerunt istae laudes, quibus fortasse etiam honores istos intelligi voluit, tales certe sunt intelligendae, quae in tempore fuerunt, et mox erant praeteriturae. Sententia igitur verborum haec est: Valde laudabantur mulieres: monumentum quoque in earum honorem constitutum, ut ne rei memoria subterfugeret. Omnia aperta sunt, neque quenquam in his verbis jam offensurum esse persuasum habeo.

XLVIII. §. 5.

Res proxime formam latrocinii venerat.

Sic contra omnes libros Drakenborchius verba typis describenda curavit, idemque fecerunt Doeringius, Kreyssigius, Bekkerus. Uno consensu omnes libri, si unum Florentinum exceperis, in quo *proxima* scriptum est, *proxime in formam* habent. Haec scriptura verissima est. Tametsi negari non potest, *proxime* saepissime praepositionis instar, utpote a qua originem ducat, cum accusativo constructum inveniri, tamen si originem praepositionum respexerimus, ubi nihil aliud nisi adverbia esse videmus, quae

cum quolibet casu, ut quisque natura et vi sua aptissimus esset, jungerentur, voci *prope* magis etiam quam aliis vim antiquam remansisse apparebit. Unde in promptu atque aperto est, cur Latini ut Nep. Phoc. c. 2. prope ad annum octogesimum pervenire et ut Cic. de nat. de. II, 49. prope aquam moveri dixerint: eodemque plane modo Livius l. I. is ducit exercitum quam proxime ad hostem, et Cicero: habere exercitum quam proxime hostem. (Etiam quod cum dativo *proxime* constructum legitur, ut apud Livium XXI, 1, 2. ad nostram de adverbio sententiam firmandam facit). Quare rectissime hoc loco scripsit Livius *proxime in formam venerat.* Dixerit autem quispiam, Romanos praepositionem *ad* adjungere consuevisse, ut in verbis *in formam* offendi possit: at si *proxime* adverbium esse statuimus, quae praepositio sequatur, nihil pensi habendum est. *Ad* potissimum in usu fuisse, factum est, quod notioni vocis *proxime* maxime conveniret, quum vis appropinquandi in utroque verbo inesset. Alia autem hujus loci ratio est, ubi verba *in formam venire* secum arctissime conjungenda unam notionem et locutionem continent, qualis est *formam induere,* ita ut *proxime ad formam venire* et *proxime formam venire* rem neque tam bene neque tam significanter exprimant. Itaque, ut paucis dicam, *in* non inservit adverbio, sed constituit locutionem *in formam venire;* neque quenquam credo fore, quin, si probaverit locutionem *res proxime formam induerat,* haec Livii verba, quippe a quo profecta esse omnes libri affirment, sit comprobaturus.

